

CASVS VIII.

AN votum sub conditione factum obliget?

§. I.

Distinguendum est inter conditiones: interdum conditio est possibilis, interdum impossibilis: possibilis vel honesta est, vel turpis. Honestas vel necessaria vel contingens.

§. 2. His præmissis, dic. 1. Si votum præstitum est cum conditione impossibili, stolidum est & non obligat, ut si quis voveat, pauperibus se benefacturum, si cælum digito attigerit.

Dic. 2. Si conditio, cum quâ votum præstitum est, turpis est, votum irritum redditur, si vel maximè aliàs sit de re bonâ, e. gr. si quis pauperi promittat aliquam pecuniæ summam, si prius adulterium committat.

Dic. 3. Si conditio, sub qua quis vovit aliquid, est honesta, votum obligat, impletâ conditione.

Dic. 4. Si conditio est necessaria, cum quâ votum præstitum est, e. gr. si quis voveat beneficia pauperibus conferenda cum hac conditione, si Sol manè oriatur, cum per naturam talis conditio sit necessaria, votum illico obligat, & implendum est.

Dic. 5. Si conditio, cum quâ votum est præstitum; est contingens, votum obligat, quando conditio jam impleta est: e. gr. si quis vovet, se ad reparationem templi de bonis suis aliquid collaturum, cum hac conditione, si ei & uxori locus sepulturæ in templo assignetur, solvere tenetur, cum impleta est conditio.

TITVLVS QVINTVS

DE JURAMENTIS.

CASVS I.

AN iuramentum inconsideratè præstitum in conscientia obliget?

§. I.

Contingit nonnunquam, ut quis inconsideratè ex nimio aliquo motu animi juret, se hoc vel illud facturum, ut postea, ubi ad meliorem

Y y

liorem